



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemerologivm Ecclesiastio-Rubricisticum Novum

Halden, Johann Baptist

Brixinæ, 1717

§. VII. De Sabbato post Cineres, seu primô in Quadragesima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39937

§. VII.

De Sabbato post Cineres, seu primò
in Quadragesima.

SABBATÒ post Cineres [hoc est Primò in Quadragesima] *Missa*, & *Officium* usque ad *Vesperas* exclusivè dicuntur sicut 3. præcedentibus *Ferijs*, *Ritu*, proximè præcedenti §. annotato. At verò *Vespera* hodie, & deinceps usque ad *Pascha*, ex *Decr. Concil. Cabilon. de Consecr. dist. 1. C.* solent dicuntur in *Choro* Tempore *Quadragesimali* ante *Comestionem* tam in *festis*, quàm in *Ferijs*, non item in *Dominicis*; in his enim dicuntur horâ *consuetâ*. Dixi tamen in *Choro*: Nam *extra Chorum* [inquit hîc *Gavantus*] non tenentur ante *Comestionem* recitare *Vesperas*; quia *Concil. Cabil. intelligitur de Publica in Choro recitatione*: Cui tamen congruum est, ut conformemur in *privata quoque Vesperarum recitatione*. Dicuntur autem illæ [eodem *Auctore Teste*] ante *Cœnam*, seu *comestionem*, diebus, quibus præscribitur *Jejunium* in *Quadragesima*, ideo; quia antiquitus solvebatur *Jejunium* Horâ *Cœnæ* in *Quadragesima* post *Vesperas*; licet autem *Horam* solvendi *Jejunium*, seu *comedendi*, nunc anticipemus, retinemus tamen *Vocabulum Cœnæ*, cui etiam benedicimus ea *Prece*, que adhibetur alioquin ad *Cœnam*, & incipit: *Edent Pauperes &c.* uti in *fine Breviarij*: *Quia verò non possumus Jejunare diebus, & Noctibus* (sicuri fecit *Christus*) *jejunemus saltem usque ad Horas diurnales inclusivè*, hoc est, *dictas Vesperas*, uti ait *Archidiaconus in C. solent. de Consecr. Cir. Dixi 2. Tempore Quadragesimali*; Quia diebus *Jejuniorum* extra *Quadragesimam*, etiam in *Sabbato* *occurrentibus*, nequaquam dicendæ sunt *Vesperæ* (nisi privatim eas recitantem excuset legitima causa) eo tempore, quo dici solent in *Sabbatis*, aut *Ferijs Quadragesimæ*. Pari modo in *Solis Sabbatis Quadragesimæ* (*NB.*) standum est extra tempus *Paschale ad Signum Salvationis Angelicæ*, quod datur in *meridie*: quia nempe in *his solis*, non autem *alijs Sabbatis* per annum, *Vesperæ* pro sequente unaquaque *Dominica* (quibus *solis à Tempore primarum Vesperarum* uti & toto tempore *Paschali* in *memoriam Resurrectionis Dominicæ*, ejusmodi *Preces publicæ* dicuntur stando) dicuntur ante *meridiem*: cum ergo illis alijs *Sabbatis*, extra *Quadrage-*

dragesimam & tempus Paschale occurrentibus, incidente in ea Jejunio de Præcepto (alicujus v. g. *Vigilia*) Vesperæ Dominicales ante meridiem non perinde, ac in Quadragesima, dicantur, adeoque Officium Dominicæ nondum sit inchoatum, incongruè Preces Angelicæ Salutationis *stando* dicerentur, utpote quæ (uti & aliæ, eæ præfertim, quæ juxta Ritum Rom. Ecclesiæ publicè in Choro peraguntur, ubi aliter Rubricæ non præscribunt) non nisi aut ratione Dominicæ, aut ratione Temporis Paschalis *stando* dici solent à Fidelibus, ut memores videl. sint, se cum Christo resurrexisse à morte animæ in Spem vitæ æternæ, ut Concilia loquuntur apud Laymanum *L. 4. Tr. 7. C. 1. n. 2.* Quia autem hodierno Sabbato, ac reliquis deinceps diebus usque ad Pascha, exceptis *Dominicis*, modò prædictò separantur *Vesperæ* à *Completorio*, ideo oritur hîc quæstio: An *COMPLETORIO*, quando separatur à *Vesperis*, præmittenda sit Oratio Dominica &c. Ad quam &c. mihi videri non præmittendam. Colligo hanc meam Re-

sponsonem ex Rubrica 1. ma, Matutino Dominicali ante Orationem Dominicam præfixâ, ubi expressè dicitur: *Pater noster, & Ave Maria dici ante Matutinum, & omnes Horas, præterquam ad Completorium.* Modum ulteriorem dicendi Officium de tempore in *SABBATIS & DOMINICIS Quadragesimæ* usque ad *Sabbatum Dominicæ Passionis*, videin *BREVIARIO*: quod ut rectè tam intra, quàm extra hoc Tempus, circa cantum Hymnorum *quoad Notas* in Choro Ordinetur, monet Henric. Pisart in *Direct. Canon. C. 6. Propr. de Tempor. curandum esse, ut quando in aliquo Hymno concurrunt duæ vocales (uti in Strophâ quarta Hymni Vesperarum Quadragesimalium: *Audi benigne Conditor* versu 3. *culpæ ut &c.*) fiat elisio primæ illarum vocalium, faciendo ex duabus syllabis quasi unam, quæ respondeat Notæ ijs appositæ, vel ità utramque pronuntiando, ut quasi una esse censeatur, vel ex Nota una correspondente faciendo duas breves; nisi enim hoc fiat (inquit) in carmine supererit una syllaba, & deficiet una Nota.*



I TITU